



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

33. Petitio quam ante votum monachi quislibet facere debet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

potes, liber discede. Hoc ergo videns, ordinatissimum atque morosum mihi spatium adtributum dubitans aditum prætermisso ut me jam vestro corpori sociare dignemini humiliter deprecor. Ego tamen hujus regulæ instituta Domino juvante servare promitto, & propter vitæ æternæ præmium coram Deo & angelis ejus humiliter militaturum subicio, ita ut ab hac die non mihi liceat collum de sub jugo excutere regulæ, quia sub annali optione aut excusare licuit aut suscipere. Et ut hæc professionis meæ petitio à vobis firmiter teneatur, ad nomina sanctorum quorum hic reliquiæ continentur & præsentis Abbatis ill. conscriptam trado in perpetuum habendam, & manu mea roboratam super altare repono perenniter reservandam.

Ego ille promitto stabilitatem meam & conversionem morum meorum & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo & sanctis ejus.

Petitio quam ante votum monachi quislibet facere debet.

XXXIII. Domino venerabili in Christo patri illo Abbati de monasterio illo, qui est constructus in honore sancti Iulii, simul cum felici congregatione vestra, quam Dominus de diversis provinciis ad peregrinandum propter nomen suum sub jugo militiæ atque servitutis Christi atque ala protectionis secundum evangelium Christi regulariter vobis coadunavit. Igitur audivimus quod Dominus noster Iesus-Christus per evangelium suum annuntiat dicens: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Et alibi: *Qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, domus aut agros, & cetera propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Petimus ergo beatitudinem caritatis vestræ ut nos in ordine congregationis vestræ dignemini recipere, ut ibidem diebus vitæ nostræ sub regula beati Benedicti vivere & conversare debeamus, quatenus suave jugum Christi & onus ejus leve sentiamus. Igitur nostra fuit petitio & vestra decrevit voluntas id ipsum implere quod ita fecistis. Abrenuntiamus ergo omnibus voluntatibus nostris propriis, ut Dei sola voluntas fiat in nobis, & omnibus rebus quas possidemus, sicut evangelica & regularis traditio edocet. Nihil rebus terrenis ab hac die possessuros nos spondimus, nisi quantum à patre monasterij donante aut permittente alimenta aut tegumenta corporis acce-

perimus. Obedientiam vobis, in quantum vires suppetunt, & Dominus dederit nobis adjutorium, conservare promittimus. Stabilitatem conversationis nostræ in congregatione vestra teste Domino devoto animo cum observatione regulæ usque in finem profitemur servare, nisi tantum, quia ignoramus futura, si fortasse causa utilitatis animæ accedat ut per vestrum comiatum volcedamus, aut etiam illud si contra voluntates nostras, quod absit, separemur à principibus vel à barbaris; & ipsum si fuerit factum, in quantum possumus, semper ad ipsam congregationem revertere faciamus, & sub sancto ordine perseveremus. in reliquo verò per nullum ingenium de prædicta congregatione vestra vel jugo sanctæ regulæ seu de potestate obedientiæ vestræ nullam habeamus licentiam nos abstrahendi aut contradicendi. Quod si instigante antiquo hoste aut voluntate nostra propria hoc facere tentaverimus, in nullis modis hoc vindicare valeamus, sed ubicunque nos Missus vester aut aliquis ex congregatione vestra invenerit, etiam nobis nolentibus, in ipsa vestra sancta congregatione Deo auxiliante per vosmetipsos faciatis revocare & secundum regulam ibidem nos judicare, ut diebus vitæ nostræ sub divina regula & regimine vestro perseveremus, qualiter in die judicij ante tribunal æterni judicis ipso adjuvante salvos nos repræsentare possitis. Et quicumque contra hanc petitionem, quam nos bona voluntate scribere rogavimus & subter firmavimus, per quemlibet modum agere aut infringere voluerit, in primis sciat se à Deo damnandum, quem irritat, & insuper secundum canonicam institutionem à communionem omnium fratrum sit extraneus usquequo de hac causa ad veram emendationem perveniat. Manus nostræ subscriptione ad honorem Domini & patroni nostri sancti Iulii hanc petitionem volumus roborare.

Ipsa promissio.

XXXIV. Ego ille, Domne Abba ille, obedientiam vobis secundum regulam sancti Benedicti, juxta quod in ista petitione continetur, quam super istud altare posui, coram Deo & sanctis ejus, in quantum mihi ipse Deus dederit adjutorium, Deo & vobis promitto custodire, & in quo possum ipso auxiliante conservo. Amen.

Exemplar

Luc. 14. *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus.*

Matth. 19. *Qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, domus aut agros, & cetera propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*